



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Nucleus Juris Canonici**

**Thenhaven, Bernhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1739**

XV. De Sagittariis. D. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

DE TORNEAMENT. ITEM DE CLERIC. PUGN. &c. 581  
quidem questio in arbitrio judicantis est,  
pœna verò persecutio non ejus voluntati  
mandatur, sed Legis auctoritati reserva-  
tur; quamvis ob causas v. g. ratione æta-  
tis, sexûs, diuturni carceris &c. pœna  
mortis aliquando mitigari possit, de qui-  
bus Criminalistæ.

### TITULUS XIII. XIV. & XV.

*De Torneamentis; Item de Clericis  
pugnantibus in Duello; & de  
Sagittariis.*

I. **P**ER TORNEAMENTA, Germanicè **Thur-**  
**nier**, h. t. veniunt hastiludia seu ludi,  
in quibus milites vel Nobiles equestres ad  
ostentationem virium ac peritiæ tractan-  
dorum armorum congregiuntur. Si fiant  
cum adjuncto mortis periculo, v. g. cum  
lanceis acutas cuspides habentibus, c. i. h. t.  
„prohibentur, & in torneamentis mor-  
„tuo, non quidem pœnitentiam, sed sepul-  
„turam Pontifex negari jubet. Verùm si  
fiant citra mortis periculum, v. g. cum ha-  
stis sine cuspidibus aut hebetibus ensibus; vel  
cum hastis & armis non se invicem, sed  
suppositam statuam, petendo, sunt laicis  
permiffa. Huc etiam pertinet agitatio tau-  
rorum aliarumque ferarum in Hispaniis  
usitata, de qua pariformiter loquendum.

II. De DUELLO vide *Nucl. Theol. Exam.*  
26. n. 8. §. 5.

III. Per SAGITTARIOS intelliguntur, qui  
in jaculandis sagittis; per BALLISTARIOS,  
qui in emittendis lapidibus aut globis  
plumbeis vel ferreis ex BALLISTIS seu cata-  
pultis, i. e. machinis seu tormentis bel-  
licis, ad conterendos hostes peritiam ha-  
bent, quibus *h. t. c. un.* „Sub anathemate  
„prohibetur, hanc artem mortiferam  
„contra Christianos & Catholicos exer-  
„cere; putà apud hostes fidei & extra bel-  
lum formaliter justum.

## TITULUS XVI.

### *De Adulteriis & Stupro.*

De his aliisque speciebus luxuriæ actum  
est in *Nucl. Theol. Exam.* 7. n. 3. & quid  
restituendum pro defloratione, stupro  
& adulterio? *Exam.* 11. n. 2.

## TITUL. XVII. XVIII. & XIX.

### *De Raptoribus, Incendiariis, & Vio- latoribus Ecclesiarum; Item de Furtis, & de Usuris.*

I. R APTOR potest esse vel *personæ* per vio-  
lentam abductionem illius in servi-  
tutem